

integram libertatem ab iniusta Francorum oppressione obtinuit electio Pontificis. Eam tamen in Synodo Romana sponte temperavit Ioannes IX cn. 10 ita statuens: « quia sancta Romana Ecclesia plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quia absque Imperatoris notitia et suorum legatorum praesentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii qui violentiam et scandala in eius consecratione non permittant fieri (en officium imperialis auctoritatis) volumus ut deinceps id abdicetur, et constituendus Pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, expetente senatu et populo eum qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, praesentibus legatis imperialibus, consecratur ». Deinceps tamen frequenter electio fiebat nesciente Imperatore, donec sub Clemente II Henricus III statuit ratam non haberi electionem sine eius consensu factam; nec causa defuit huius decreti. 7<sup>o</sup> Nicolaus II hoc decretum tulit in Synodo Romana, in quo incipiunt eminere electores Cardinales: « Religiosissimi viri praeduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus autem atque legitimus electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum Patrum regulis sive gestis, etiam illa b. Leonis praedecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur Ecclesiis, atque ideo supra se metropolitanum habere non potest, Cardinales Episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum episcopum ad apostolici culminis apicem provehant. » Ibidem statuit ut in electione salvus sit debitus honor et reverentia dilecti filii Henrici tunc regis, et futuri Imperatoris, sicut iam ipsi concesserat, ac pariter idem honor tribuatur successoribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint. Postea tandem electio fieri caepta est a solis cardinalibus, quam ita Alexander III in concilio Lateranensi oecumenico definivit ut « ille absque ulla exceptione ab universa Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit et receptus » (C. licet de electione et electi potestate).

Nota Nicolaum II l. c. statuisse ut statim ac quis in Romanum Pontificem electus esset, omnia etiam ante consecrationem agere posset quae sunt iurisdictionis. Id per se consequitur ex eo quod potestas Primatus a nullo homine detur, nec per ordinationem iurisdictionis conferatur: prioribus tamen seculis videtur spectata fuisse consecratio ut complementum electionis.

Iam vero forma electionis confirmata ab Alexandro III ab eventu commendationem nacta est, universaeque Ecclesiae per plura secula se probavit. Quis ita insipiens ut exoptet eam formam quae interveniente plebe tot perturbationes, seditiones, et indignorum electiones seculo X praesertim peperit? Ceterum, ut iam diximus, ea sola forma legitima esse potest, quae a competenti auctoritate h. e. a Romano Pontifice fuerit determinata.

#### THESIS XV.

*Proprium est proinde Potestatis Primatus ut nullis ecclesiasticis canonibus sit coactive circumscripta aut limitata.*

I. Canones vel iuris sunt divini, aut naturalis, vel ecclesiastici, hi vel universales vel particulares, iidem vel a Concilio sive oecumenico sive alicuius provinciae, vel a sola Romana Sede profecti sunt. De Canonibus iuris divini aut naturalis non disputamus, sed de aliis. Heic nobis occurrunt Gallicani. In Declaratione enim anni MDCLXXXII, praemissa in articulo 2<sup>o</sup> auctoritate Conciliorum generalium supra Pontificem, colligunt in articulo 3<sup>o</sup> « Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis ut statuta et consuetudines, tantae Sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant. » Vim huius articuli exponit nobis Benignus Bossuet in Defensione Declarationis, L. XI. Gensent ergo auctores illius articuli plenitudinem potestatis Ecclesiasticae esse penes Petrum et successores eius iure divino: *exercitium autem potestatis huius* regulandum esse per Sacros Canones. *Exercitium* aiunt non ipsam *potestatem*, quia concedunt Papam omnia posse cum necessitas id exigit, sed una sciunt canones universali reverentia consecratos praescribere regulas quas ipse sequi debeat. Cum ergo canones non potestatem in se ipsam, sed usum eius tantum respiciant; idcirco dictum est *exercitium potestatis moderandum esse* (c. 20). Nimirum Ecclesia nequit gubernari voluntate arbitraria Romani Pontificis; sed is in regimine quidem universalis Ecclesiae sequi debet canones universaliter receptos et totius mundi reverentia consecratos: in regimine autem particularium Ecclesiarum, cuiusmodi est Ecclesia gallicana, sequi debet regulas receptas in iis ecclesiis. Comprehenduntur vero sub nomine regularum consuetudines approbatae. Illae porro leges vel regulae censentur receptae et approbatae, quae ex consensu Romanae Sedis simul et ecclesia-

rum fuerint receptae et approbatae (c. 2). Hinc leges latae a Romano Pontifice contra dispositionem Sacrorum Canonum habendae sunt ut nullae (c. 10), et si huiusmodi sint ut funditus labefactent totam disciplinam, ad Concilium generale appellandum est (ibid.). Potest quidem Romanus Pontifex dispensare in legibus Ecclesiae; sed dispensationes *sine causa* ne dum illicitae, sed et invalidae sunt (cc. 17. 18. 10). Nec novae leges aut nova iura reiiciuntur; sed ea exigere debent ad normam veterum, ut termini Patrum maneant inconcussi (cc. 13. 14). Quemadmodum autem se habet potestas Pontificis erga canones et consuetudines universales, ita se habet quoque ad canones et consuetudines ecclesiarum particularium, harum porro consuetudines eandem vim habent ac canones (c. 12). Munus ergo proprium Romani Pontificis est procurare et efficere ut canones, quos ipse cum Ecclesia statuit, observentur (c. 10); Ecclesiaeque Romana, idest Romanus Pontifex iisdem legibus regitur et obstrictus est quibus universa Ecclesia (cc. 3. 4. 5. 6.). Ratio horum omnium est quia potestas suprema Ecclesiae est in universitate, seu in Concilio Ecclesiam universalem repraesentante, cui ipse subest Romanus Pontifex; ut articulus 2<sup>us</sup> declarat. (c. 15). Porro doctrina hoc 3<sup>o</sup> articulo contenta est fundamentum disciplinae et libertatum Ecclesiae Gallicanae (c. 2): quae libertates (teste Bossuet, nam non est omnium una sententia: cf. Charles De Libertatibus Ecclesiae gallicanae L. I. c. 3) in hoc consistunt quod Ecclesia Francia regitur secundum ius commune, auctoritate conciliorum et regulis sanctorum Patrum (c. 9). Unde ait, Episcopus Francia non reiicere ius novum receptum penes eos, sed contendere quod leges extraordinariae, et potestas arbitraria locum non habeant in regimine suarum ecclesiarum, et in hoc eos collocare libertatem ecclesiasticam (c. 20).

II. Ut constet quanta sit levitas in hac opinione falsissima, praemonemus 1) cum de actibus potestatis agitur, distinguendum esse inter liceitatem actus, et eius valorem. Potest enim esse actus illicitus, et tamen validus: qua de re consulantur tractatores iuris naturalis et theologi morales. Porro cum dicitur potestas Romani Pontificis non esse limitata canonibus, non intelligitur quod actus eius exors sit a lege honestatis, sed intelligitur quod ut eius actus valeat non est opus ut sit conformis canonibus praecedentibus, et quod canones praecedentes abrogare potest.

2) Licet nomine potestatis arbitrariae intelligi possit (si vis vocis spectetur) ea potestas, quae in societate independens est, suoque arbitrio non constricto ulla lege omnia decernit; tamen usu loquendi ea potestas arbitraria dicitur quae *sine consilio* agit: et quia cum consilium deest, nequeunt ferri leges quae conducant bono communi,

potestas arbitraria ea dicitur, quae despotica est, et qua non bonum commune, sed bonum potius principis ferentis leges procuratur: illud enim tunc princeps decernit quod sibi placet. Sane quaerere licet an potestas suprema Ecclesiae, quam Gallicani Concilio oecumenico vindicant, sit limitata canonibus praecedentibus. Id quidam affirmare non dubitant, cum libertates Gallicanas adstruant etiam contra decreta Conciliorum (Cf. Marca Concordia Sacerdotii et imperii L. III, c. 7); verum id est absurdissimum. Si enim ita est, potestas quae modo in tota Ecclesia viget, non est amplius ea, quam Christus primo instituit: et tandem aetas venire poterit, in qua nulla sit amplius vel minima potestas legislativa. Et re quidem vera non est cur Gallicani eam potestatem negent esse in Ecclesia, quam faterentur esse in societate civili, et adserunt regi, cuius nullum finem faciunt magnificandae auctoritatis. Porro eo modo illimitatam censemus potestatem Romani Pontificis, quo illimitata censenda est potestas Concilii oecumenici, cui ipse praesit. Quis vero mente sanus audeat potestatem horum conciliorum illimitatam appellare arbitrariam?

3) Cum dicitur quod canones novi debent exigere ad normam veterum, a) plura implicite affirmantur falsa, b) regula ea proponitur, quam nec ipsi proponentes intelligunt, c) quae tantum confert ad subvertendam hierarchicam subordinationem. Sane a) affirmatur implicite potestatem Ecclesiae praesentis non eandem esse ac potestatem Ecclesiae primitivae, quod absurdum est: affirmatur vel supponitur Ecclesiam veterem ita suos canones condidisse ut voluerit eos etiam mutatis prorsus adiunctis, novis exortis necessitatibus, ex toto aboleri non posse a legitima auctoritate, quod est traducere primitivam Ecclesiam tanquam insipientem; affirmatur canones veteres meliores esse quam possint esse canones novi; quod quidem qua ratione probari potest? imo constat progressu temporis in non paucis disciplinam Ecclesiae fuisse in melius mutatam. Nonne enim disciplina praesens quoad electionem Episcoporum, quoad administrationem Eucharistiae qua laicis calix est sublatu, quoad statum professionis religiosae, quoad impedimenta matrimonii melior est et perfectior praecedente? b) Volunt canones novos exigere ad normam veterum quia nolunt canones qui adversentur veteribus; at quid est canones novos exigere ad normam veterum? audiatur Bossuet l. c. c. 14. « Libertas nostra igitur, ut paucis absolvam, posita est in observatione iurium novorum, quae statuuntur propter motiva pietatis aut necessitatis, ita tamen ut ob oculos semper habeantur veteres canones ad quos semper recurrere oportet ne disciplina relaxetur. » Bene est. Verum quid agendum, si pietas aut necessitas exigat ut

lex prorsus opposita veteri statuatur, qualis fuit lex abolitionis usus calicis pro laicis, ac concursus populi ad electionem Romani Pontificis et Episcoporum, et decretum Concilii Lateranensis IV conferentis secundum locum post Romanum Episcopo Constantinopolitano? Licebat ne haec statuere? non negabit, credo, Bossuet. Quomodo autem cum haec statuta sunt, habiti sunt ob oculos canones veteres? nimirum habita est ratio boni communis, ad quod canones quoque veteres spectabant: sed hoc non est habere ob oculos canones veteres nisi ut aboleantur pro consulendo bono communi; non vero tanquam norma secundum quam novae leges fiant. Itaque Gallicani concedunt canones novos fieri posse cum ratio pietatis aut necessitatis id exigit; pietas vero et necessitas exigere possunt ut canones statuatur prorsus oppositi veteribus; at huiusmodi nolunt Gallicani: sciuntne ergo et ipsi quid sibi velint? Quocirca c) quid ex hac regula proposita consequi necesse est? illud unum: praetextu novitatis reicere ea omnia recentia decreta vel Romanae Sedis vel Concilii oecumenici, quae non placeant; ea enim regula statuta, nulla ratione persuadebis aliquem ad obediendum alicui decreto recenti nisi tibi contradicas.

Quid ergo est vel fuit libertas Ecclesiae Gallicanae? cum libertatem Ecclesiae audis, putares eam se habere erga potestates et principes seculi, qui iura Sacerdotii invadere saepe ambiunt, quemadmodum ab ipsa Ecclesia semper intellecta est: at falleris egregie. Libertas Ecclesiae Gallicanae fuit adversus Ecclesiae caput a Christo institutum, adversus legitimam superiorem Ecclesiae Gallicanae, libertas respuendi eius decreta. Et sicut libertas a iustitia est servitus peccati, ita libertas a Romano Pontifice fuit servitus praestita Regi in cuius potestatem se Episcopi tradiderunt.

III. His praemissis veniamus ad probationem thesis, et confutationem articuli 3. Iam vero quaestio non est utrum canones pro regimine Ecclesiae conditi habent *vim directivam* in Romanum Pontificem. Vis directiva normae alicuius in eo est quod eam sequens honeste et licite agat, officiumque suum recte impleat. Non ergo quaeritur utrum Romanus Pontifex debeat ex lege honestatis, ut suo officio faciat satis, rationem Domino redditurus, canonum executionem procurare et in sua speciali Ecclesia, et in aliis, *ut recte scilicet gubernet Ecclesiam*; ad quod obligatione morali tenetur, manente semper potestate dispensandi, ubi necessitas id exigit: nec quaeritur an quaecumque lex sive sententia ab eo feratur sit valida: nam scimus leges et sententias iniustas esse per se nullas. Sed quaestio est, utrum *vi coactiva* tum praecipiente tum punitiva ecclesiasticorum canonum teneatur Romanus Pontifex, ita ut tanquam in-

ferior iis legibus obligari poenisque ab iis statutis ligari possit: et sic proinde invalidus sit eius actus aliquid decernens contra canones vel eos abrogans ex eo tantum quod sit contra ipsos, licet quod praecipit Pontifex non sit per se aliquid inhonestum: hoc enim est canones habere vim coactivam in aliquem. Id nos contra Gallicanos negamus. Ita porro refellimus sententiam gallicanam.

Sane 1) haec duo quae ab auctoribus declarationis asseruntur, *Petri successoribus Christi vicariis inesse rerum spiritualium plenam potestatem* (art. 2), *Apostolicae potestatis usum moderandum esse per canones* (art. 3) contradictionem manifestam implicant. Nam potestas est potestas ad actum: potest quidem concipi et esse potestas in habitu sine actu; sed nequit concipi et esse sine ordine ad actum: quae idecirco, si actus sit impossibilis, quoad illum non est amplius potestas. Hinc sequitur quod limites ponere exercitio potestatis ita ut actus aliquos efficere nequeat, est limitare ipsam potestatem; nec fieri potest ut potestas in potentia maior sit ea quae potest venire ad actum, cum potestas in potentia nihil aliud sit quam ea quae potest exire in actum. Non erat ergo cur Bossuet praedicaret (l. c. c. 20) accuratam loquendi rationem coetus Gallicani, sive suam (si ipse est auctor eorum articulorum), quia non potestatem sed exercitium potestatis moderandum esse dixerunt. Porro potestas iurisdictionis plena in Ecclesia est illa tota potestas, quam habuit Petrus, est potestas, quae potest omnes actus, quibus iurisdictionis in Ecclesia exercetur; atqui potestas limitata per canones non est amplius tota illa potestas, quam habuit Petrus, non potest amplius omnes actus, quibus iurisdictionis in Ecclesia exercetur; nequit enim circa eas res aliquid ipsa decernere, circa quas praedecessores potuerunt. Non est ergo potestas plena: ergo contradictione laborant hi duo articuli.

2) Quanta sit potestas Romani Pontificis, qualisque eius habitudo ad canones conditos ab Ecclesia, ex verbis Christi instituentis Primatum dignosci debet; quamvis illustrissimus Bossuet satius duxerit ea silentio praeterire. Atqui potestas Romani Pontificis est potestas universalis ligandi et solvendi *quaecumque*, est potestas efficax, ligandi scilicet et solvendi ita ut quae ipsa ligat, immediate liget Deus, quae ipsa solvit, solvat Deus; est potestas ligandi et solvendi propria eius qui habet claves huius regni quod est Ecclesia, nempe potestas independens a quavis alia potestate huius regni (Th. I. in h. l.): iam vero si potest Pontifex omnia solvere, poterit solvere et leges seu canones iam latos: si solutionem ipsius immediate sequitur solutio Dei, nulla est vis in Ecclesia quae solutionem Pontificis impedire possit: si potestas eius est independens, repugnat ut ab alio vel aliis ligetur Pontifex. Atqui cum his

repugnat potestas, cuius exercitium sit moderandum per canones, quorum nempe vi praeceptiva et coactiva Pontifex teneatur: ergo.

Aiunt credibile non esse quod Christus omnia in Ecclesia permiserit arbitrio unius qui pro voluntate sua cuncta disponat. Respondeo 1) mirum esse id ab eis dici, qui in societate civili permittunt omnia arbitrio unius, cuius auctoritatem volunt immediate a Deo acceptam et a quavis potestate in terris prorsus independentem: 2) quid Christus voluerit, ex verbis disertis Christi manifestantibus eius voluntatem, non ex quibusdam placitis rationis, investigandum esse: 3) cum aperta sit Christi voluntas, ea obiectio non est nisi iniuria irrogata Christo, qui nesciverit consulere bono Ecclesiae suae. Ceterum 4) Christus non ita huiusmodi potestatem fecit Petro et successoribus eius, ut exemerit ipsos a lege morali honestatis et a debito rectae gubernationis. Excessibus vero tyrannicae gubernationis plura impedimenta apposuit. Haec vero sunt primo auctoritas fratrum suorum h. e. episcoporum qui, si Pontifex evidenter iniusta praeciperet non ambulans secundum Evangelium, corrigere eum et resistere ei possent; quod quidem non eis licet propter auctoritatem quam in ipsum habeant, sed quia omnibus competit ius defensionis, et quia lex iniusta non est lex, idque Episcopi docere possunt. Exemplum huius rei suppeditat nobis historia ecclesiastica aetate Paschalis II. Pari- ter impedimentum est charisma infallibilitatis quo Romanus Pontifex instructus est, eo enim impeditur [ne Pontifex possit ferre pro universa Ecclesia leges, quae in se malae sint; et licet id directe non impediatur quominus in causis particularibus sententias iniustas ferat, vel iniuste praecipiat; indirecte tamen id non infrequenter impedire potest, quoties scilicet eo res adduci posset ut Pontifex praecceptum aut sententiam suam tueri deberet definiendo rectum et sanctum esse quod iubetur. Impedimentum est quoque spiritus ille quo Ecclesia regitur, quo fit ut Ecclesia universim ab iniquis legibus et iniustis abhorreat; sic enim moraliter impeditur eius rector, qui in hac hypothese bonum suum quaereret, ab iis ferendis. Impedimentum est tandem quod careat Pontifex immediato exercitio illius medii quo iniqui Principes solent suas iniustas leges tueri, nempe careat usu immediato vis physicae qua cogere valeat reluctantes sibi Ecclesias: usus autem mediatu huius vis ope praeccepti impositi Principibus, cum lex iniusta Pontificis defendenda esset, eius iniustitiam docentibus episcopis, et repugnante Ecclesia, est moraliter impossibilis: quocirca Pontifex malus, si suam auctoritatem tueri vult, cogitur moraliter abstinere a legibus iniquis et tyrannicis. Christus ergo satis consuluit recto exercitio potestatis Primatus.

3) Canones editi ab universa Ecclesia vel spectantur prout proce-

dunt a Romano Pontifice sua auctoritate eos confirmante, vel prout procedunt a ceteris Episcopis; vel prout procedunt ab omnibus simul. Atqui prout a ceteris Episcopis procedunt, nequeunt ligare Romanum Pontificem, totum enim reliquum corpus inferius est capite, inferior autem nequit ligare superiorem: quatenus vero procedunt a Romano Pontifice nequeunt rursus ipsum ligare; quia nemo in se ipsum coactivam vim exercere potest; nec successores suos ligare possunt, quippe qui eadem potiantur potestate. Prout vero procedunt ab omnibus simul, non habent maiorem vim in Romanum Pontificem, quam si procederent ab ipso solo. Nam cum Romanus Pontifex obtineat plenitudinem potestatis, quaevis alia potestas non est nisi dependens ab ipso, qui omnes actus eius solvere et irritare potest: potestas vero dependens nullam vim coactivam addit decreto respectu sui superioris: ergo quoad Romanum Pontificem tantundem est quod canon sit editus a sola Apostolica Sede, aut ab universa Ecclesia simul cum eo. Atqui nequit ipse ligari actibus suis: ergo.

4) Articulus 3<sup>us</sup> Gallicanus pervertit universam formam regiminis Ecclesiae a Christo institutam. Nam hoc posito Romanus Pontifex haberet tantum supremam potestatem *executivam*, quemadmodum contingit in regno quod dicitur *constitutionale*, non vero supremam potestatem legislativam, quae vere in corpore Ecclesiae resideret, et cui ipse Pontifex esset subiectus: atqui Romanus Pontifex accepit a Christo potestatem supremam plenam, nedum executivam, sed legislativam et iudiciariam; utraque enim haec continetur in potestate universali ligandi et solvendi, potestate pascendi h. e. regendi universam Ecclesiam, ut proinde ipse vere appellari possit non secus ac Petrus appellatus est a Nazianzeno (Apolog. n. 15) « Legislator noster »: ergo.

IV. Itaque canones habent in Pontificem vim tantum directivam. Quod hanc habeant manifestum est. Si enim ab universa Ecclesia canones conditi sunt in bonum Ecclesiae, cum Ecclesia a Spiritu S. regatur, tenendum est eos canones Ecclesiae esse utiles, bonumque Ecclesiae postulare generatim, nisi conditiones mutentur, ut ii observentur. Quoniam igitur Romanus Pontifex debet ex officio suo Ecclesiae bonum procurare, ut id assequatur necesse est ut ad normam canonum, quatenus in adiunctis in quibus versatur bonum Ecclesiae id postulat, gubernationem suam exigat. Quod si non faciat, legem divinam aut naturalem violabit, non secus ac si legem novam quam Ecclesiae necessariam certo cognoscit, non conderet: Deoque rationem reddet peccati sui. Distinctio ergo inter *vim directivam* et *coactivam* canonum exhibetur nobis ab ipsa natura Primatus a Christo instituti; proprium est enim potestatis supremae pleneque in so-